

Causa Phæ-  
nom. VIII.

ròque comminui constat, idque impunè ac sine læsione fieri  
mirum esse non debet, quia pressæ illæ particulæ mucronatæ  
rigore suo & integritate carent, facileque adeò in seipsas con-  
cedunt: quemadmodum certè supra gladium in plura frusta  
vix levi contactu cohærentia confractum prono pectore quis  
absque omni vulnerationis metu incumberet.

Causæ 2.

Part. Phæn.

V.

**C O N C L U S I O X V I I I .** Tuberculos denique illos in  
flexura lachrymarum interna conspicuos exinde verosimili-  
ter deduxit *Montanarius*, quòd inflexio illa sub aquis contin-  
gat cùm exterior superficies jam incepit frigere & aliquantu-  
tulum indurari, ut postmodum in flexionem illam non æquè  
facile, ac internæ partes adhuc molles, valens consentire, pli-  
caturam illam extrorsum faciat; maximè (quod haut inuti-  
liter forsan addimus) quia guttæ caput uti priùs mersum, ita  
priùs etiam extus saltem induratum, notabiliùs illi flexuræ  
resistit, partemque adeò desuper pressam extrorsum conce-  
deret tantò magis cogit. Ipsius incurvationis causam autem  
dum investigatu multò difficiliorem judicat Vir laudatus,  
interea proprio experimento factarum, in vase vitro aquâ  
pleno, guttarum testatus, illam incurvationem ordinariè tum  
demum contingere, cum vasis fundum attigerit lachrymæ  
caput; haut absque ratione fortè quis crederet, inde rem  
omnem pendere, quòd, quamdiu lachryma per aquam li-  
berè descendit, antecedente capite & caudâ sequente, hæc ab  
ambiente aqua æqualiter undique premente necessariò dire-  
ctè teneatur; ubi primùm autem ad vasis fundum tantisper  
allisum caput ejus fuerit, per aliquam motūs reflexionem,  
quæ insimul ob inæqualitatem fundi à perpendiculari facilli-  
mè in unam aut alteram partem inclinet, alterutra caudæ fa-  
cies in obnitentem desuper aquam paulò magis impingat,  
eoque pacto in partem oppositam flecti se ob  
mollitiem suam patiatur.

TENTA-